

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 91. Landgravis sese Tridentino Concilio submittere recusans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.

§. XCI.

*Landgravius sese Tridentino Concilio submittere recusans.*

*Sleid. p. 571* *A*de ea, quæ Cæsar de Concilio Tridentino dixerat, Landgravius hæc sub-

junxit: *Fateor, Concilium quidem flagitavimus, sed liberum & piūm, inque Germania celebrandum: cur autem Tridentinum istud eo loco non habeamus, Wormatice tibi demonstravimus abunde, nam exclusis idiotis, ut nos omnes vocant, Episcopi & alii, qui sunt Pontifici jurejurando deviri, decernendi potestatem ibi soli obtinent: ut Religionis componendæ rationem aliquam ostendam, mihi sane non est integrum absqu Sociorum interventu, & utrinque malam mihi gratiam esse paratam video: quo minus autem inter tuos atque me sermocinatio aliqua fiat, sine præjudicio tamen, non recuso. Evidem in Concilio non multum habeo possum spei, sed Provinciæ Germaniæ Conventum arbitror futurum non inutilem, nam sententiis atque dogmate nimium adhuc a nobis reliqui populi dissident: in Germaniavero sic est comparatum, eoque res devenit, ut mutari non possit: nihil ergo potius est, aut præstabilius, quam ut liberam permittas in ea Religionem, sic tamen, ut pacem omnes colant. Colloquium opinor optimo consilio institutum abs te Ratisbonæ, sed ab iis, qui in.*

intersuerunt, accipio, Monachos ibi quos- Sæcul. XVI.  
 dam esse virulentos, qui dogmata superiori- A.C. 1546.  
 bus annis eodem loco conciliata rursus in di-  
 sputationem adducunt, & vita quoque tam  
 sunt impuri, prorsus ut nihil ab iis exspe-  
 etari possit. Coloniensis Archiepiscopus  
 haud dubie Vir bonus est, & quicquid hujus  
 rei facit, ex officio sese facere arbitratur,  
 præsertim, cum Ratisbonensis Comitii De-  
 cretum Ecclesiæ reformationem ei mandet:  
 eam vera, quam fieri potuit, moderatissime  
 conscribi jussit, & necessaria tantum justu-  
 lit, & in sacris bonis nec minimum immu-  
 tavit: Liber autem ille cum sacra Scriptura  
 congruit, & habet veterum Doctorum tesli-  
 monia, Tertulliani, Augustini, Ambrosii,  
 & aliorum, qui proximiores ætati fuerunt  
 Apostolorum: si qua vis igitur ei propter  
 hanc caussam intentetur, id cautionis loco  
 futurum sit aliis, qui multo plura muta-  
 runt.

### §. XCII.

#### *Responso Cæsaris Landgravio data.*

Ad hanc Landgravii orationem rursus  
 Cæsar respondit hunc in modum:  
*Actionem Francofurtensem suo loco relin-  
 quo, nec fidem iis habeo, quæ delata sunt,  
 neque sane caussam dedi, quam ob rem ita  
 fiat: nunc meo etiam ut sermone tibi amplius  
 satisfiat, Concilium eo procuravi, ut &  
 reipublicæ prodesset, & qui sunt ibi Patres,*

ultra